

# DE C I S I O


S. ROTAE ROMANAE

Coram R. P. D.

# G H I S I L E R I O

I N C A V S A

Valentina Iurisdendi.



ROMAE, Ex Typographia Reu. Camerae Apostolicae M. DC. XXXV.

*SUPERIORUM PERMISSV.*

DE C I S I O

S. ROTAE ROMANAE

COTUM R. P. D.

G H I S I L L E R I O

I N C A V S A

Valentini Implebendi.



ROMAE, Ex Typographia Reu. Camerae Apostolicae M. DC. XXVII.  
S T E R I O R I M . P A R I S I S .



Ostquam per duas decisiones coram me factas 15. Decembris 1634., & 16. Martij 1635. Rota denegavit Capitulo petitam remissionem iam ad probandum modum sedendi obseruatum à Præpositis, & Canonicis tam antiquis, quam modernis ex rationibus in dictis decisionibus allatis. Hodie proposito dubio super confirmatione sententiæ Rotalis, qua fuit pronunciatum Præpositos Ecclesiæ Valentiniæ habuisse & habere ius & facultatem sedendi in Choro immediatè post personas Conon-

corum Choro assistentium, eisquè licuisse & licere occupare sedes vacuas Canonicorum Choro non interuenientium: Talem sententiam tamquam validam, & iustam confirmandam esse fuit resolutum.

De validitate constat, ex quo ex reuolutione processus apparet omnia interuenisse ad effectum validitatis requisita, de quibus per *Caput. decis. 260. par. 2. Rot. in recent. decis. 545. nu. 1. & 589. nu. 1. par. 1. recent. & alibi sapissimè.*

De iustitia pariter constat ex decisionibus in prima instantia factis coram R. P. D. meo Merlino 16. Decembris 1633. & 12. Iunij 1634. nec non ex supradictis duabus coram me factis, in quibus firmatur, Præpositos immediatè post Canonicos sedere debere, secundum erectionem felicis recordat. Sixti V. & constitutiones capitulares editas de anno 1576. vbi statuitur; Præpositos sedere debere immediatè post Canonicos non obstante contraria interpretatione illius dictionis, *immediatè*, in literis appositæ, quia est bene declarata in decisionibus, vt importet sessionem Præpositorum, nullo medio interposito, ex alias allegata doctrina *Bald. in l. 1. num. 3. ff. de cond. insert. Rum. conf. 7. nu. 7. volum. 4. Tiraquell. in l. si vnquam, verb. reuertatur num. 125. vers. nam & ea C. de reuoc. donat. cum alijs late allegatis in dictis decisionibus.*

Interpretatio enim verborum, *immediate post Canonicos*, quod scilicet, dicta verba habeant relationem ad personas Canonicorum, & non ad sedes canonicas, visa fuit vera & germana, & adeo clara, vt aliam quam libet interpretationem prorsus excludat; Ideoque sequenda ex deductis in decisionibus in causa factis, quæ Dominis placuerunt: quibus additur *Port. Imol. conf. 33. lib. 3.* Considerarunt etiam Domini, quod cum Præpositi habeant eundem habitum, & ascendant easdem scalulas, quas ascendunt Canonici, & cum illis incedant in processionibus sine discrimine loci, nullo interiecto medio, illis suffragatur ritus Decoris ecclesiastici, quo attentio sessio continuata in Choro, & non discreta & interpellata dari debet, aliàs nisi daretur continuata sessio, verba illa, *immediatè post Canonicos*, nihil operarentur.

Nec Dominis visæ fuerunt obstare depositiones testium super obseruantia contraria, & super eo quod Canonici habent proprias sedes; nam respectu testium, examinatorum in Curia iam fuit firmatum, tam coram R. P. D. meo Merlino, quam coram me, illorum dicta non probare, quia non percutiunt tempus ante motam litem, nec reddunt congruam, & concludentem rationem sui dicti. Aliqui deponunt de auditu, aliqui de credulitate, & alij fatentur se parum informatos de prerogatiuis Præpositorum. Et demum quia non releuant, vt inferius.

Re-

**Respectu** vero testium remissorialium examinatorum in alia causa Valentina, præheminetiarum coram R. D. meo Decano, de quibus Rota mandauit haberi rationem in hac disputatione pariter fuit dictum, illorum dicta non releuare: quia cum Præpositi habeant fundatam iurisdictionem in literis erectionis & constitutionibus Capitularibus, dū conantur deponere quod Canonici habeant sedes proprias & fixas, conuincuntur ab ipsis constitutionibus Ecclesiæ, in quibus solis Dignitatibus fixæ sedes assignantur & inter Canonicos & Præpositos statuitur sessio successiua respectu personarum, non autem sedium; & dum non agitur de cōfundendo ordine sedendi quando extant Canonici replentes rotas sedes canonicas, sed illis absentibus, Canonici non possunt conqueri, quia ipsi sunt primi, & Præpositi post ipsos.

**Minus aduersatur**, quod Præpositi dicantur inferiores Canonicis, quia imò quoad habitum & locum in Choro & processionibus, & alijs actibus (ex ceptis capitularibus) sunt æquales, vt in literis erectionis cauetur, & in omnem casum. huiusmodi articulus tangit causam super præheminetijs, quæ pendet coram Reuerendissimo D. meo Decano.

**Nec pretenfa obseruantia contraria** super qua deponit Testes visa fuit posse suffragari, quia in contrarium adest Indultum Sixti V. in forma constitutionis ob publicam vtilitatem ampliacionis studij Valentini cum clausula, Sublata, & decreto Irritanti, emanata; ex quo obseruantia contraria in totum eliditur. II. quia obseruantia detegitur litigiosa ab anno 1597. quo tempore Canonici causam in Rota commiserunt, quod tempus litis est omninò detrahendum, *Bart. in l. Celsus nu. 27. vbi Bald. ff. de Vsup. Put. decisi 348. nu. 1 lib. 2.* & obseruantia litigiosa non releuat: Obseruãtia verò ante motam litem pariter non est attendenda; quia vel dedit causam liti, de qua nulla potest haberi ratio; vel est contraria constitutionibus Ecclesiæ & Indulto Sixti V.

**Nec allegata obseruantia antiquorum Præpositorum** visa fuit pariter releuare; quia detegitur contraria constitutionibus Ecclesiæ, & in totum elisa ex Indulto Sixti, vbi sessio immediata Congregationi Præpositorum indulgetur cum clausula, Sublata, & decreto irritanti; quæ clausulæ tollunt contrariam obseruantiam, & factum aliquorum Præpositorum ex allegatis in alijs decisionibus cum quibus Domini transierunt.

**Et ita vtraque parte informante pro Confirmatione Sententiæ fuit resolutum.**